

UM
RUM
E
EINZIA
UM





DIVITIARUM
EVANGELICARVM

Disquisitio Secunda

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO


Gymnasii Hallensis
Rectore.

Respondente

TOBIÄ CUNRADI,
Soraviâ - Lusato

Dominica II. Adventus

clb. clb. IVL.



HALLIS SAXONUM

Prelo Heredum Melchioris Oel-
schlegelij.

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitiones

PRAEVADE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Halensis

Rectore

Responsione

TORIS CUNRADI

Soravi - Luthero

Domini M. Anthonii

et aliorum

et aliorum

HALLIS SAKONUM

et aliorum

scriptura



ANALYSIS
EVANGELII
DOMINICA SECUNDA AD-
VENTUS

Luc. 21. à v. 25. usq. ad finem.

Prooemium

IN Pharaonem, Ægyptiosq. populo DEI iniquos vindicaturus DEUS pramissit signa irae sua, & cladis venturae Exodi 10.

2. Sic in genus humanum, orbemq. universum animadversurus signa immanis praeire voluit. Id quod ostenditur in hoc Evangelio.

THESIS I.

IN quo partim adventus ad iudicium praesignificatio: cuius est cum praenunciatio, ubi signorum caelestium & terrestrium praecedentium denotatio v. 25. in quo in ge-

B

neré

mere, quòd signa futura sint: quia in singulis
 adventibus certa quaedam promisit Christus: in
 primo adventu suis cœli & terræ commotio.
 Hagg. 2.8. in secundo Prodrōmi Baptiste pœ-
 nitentiæ concio. Es. 40.8. Malah. 3.1. & in ter-
 tio hic ostenduntur, quæ prædicta sunt in Ioel
 c.2.31. ut discamus Deum nolle interitum pec-
 catoris, sed monere, ut pii aspiciant signa gra-
 tiæ, impii observent signa iræ; & universi signa
 mutantis naturæ. Ergò salvemus nos, dum li-
 cet, ad cœlestia desiderio transeamus, ut libere-
 mur, inquit Ardens.

2. In specie amplificatur per distributio-
 nem à subjectis sumptam quoad superiora;
 & quidem sigillatim: tùm in Sole signa e-
 runt; quæ specialiter exprimuntur à Matthæo.
 c.24.29. Sol scilicet obscurabitur, non ut Hier.
 Chrysost. & alii voluerunt, tantùm per Maje-
 statem adventus Christi; neq; tantùm miracu-
 losè & extraordinariè uti in Ægypto, sed e-
 tiam naturales istæ obscuraciones arguunt
 mundi interitum & mutationem; licet ultime
 magis prodigiöse futurae. Interim plurimis à re-
 ligione deficientibus clara fides obscurabitur
 nube perfidiæ, uti habet Ambros. lib. 10. in cap.
 20. Lucæ. ut quemadmodum illa in cœlo na-
 turali, hæc in cœlo spiritali appareant.

3. Tùm in Luna; quæ etiam secundum
 Matth.

Matth. non dabit splendorem suum: ut quidem sit habitura lumen, sed tamen non dabit. Ecclesia etiam non apparebit impiis, uti monet August. epist. 80.

4. Summatim, & in astris. De quibus Matthæus, quod casura sint de cælo, quippe totus mundus est arsurus; & ita etiam astra non amplius splendebunt, uti Joël habet c. 2. 19. & quoniam multi etiam qui gratiâ fulgere videbantur, cadent, uti habet August. etiam Ecclesie Doctores per apostasiam secundum Apoc. 8. 10. & 12. 4.

5. Quoad inferiora tûm de terra, quòd futurum in terra futura pressura gentium in expectatione, ubi omnia emphatica. Nam *συναχὴ* est angustia, & quidem talis, quam commitatur complosio manuum, ut Syrus addit. Et Matthæus per planctum exprimit c. 24. 30. propter consilii inopiam seu desperationem. Si quidem gentes voluit intelligi non pertinentes ad semen Abrahe, uti habet idem August. quamvis & quedam dictura sint, pax & securitas uti habetur. 1. Thess. 5. 3. unde usquequaq; frequentantur luxuriosa convivia, fervet ebrietas, grassatur avaritia.

6. Tûm in mari, quòd sonituum, uti & salum, quod est mare lutosum & turbidum ob perpetuum motum. Quo æstus maris & cata-

clysmos particulares intelligit; quales etiam superioribus annis habuimus. Atq; ita tota natura nos docet mundi interitum, id quod impiis mundo adherentibus magnum incutere debet terrorem.

7. Et hominum exanimatio. v. 26. in quorum forma quoad prædicatum, exanimatum iri: quia arescent quasi homines, quod malè translatum est ad præcedentem versum in vulgata versione; nempe anxietas erit tanta, & timor & metus.

8. Subiectum homines, per quos potissimum impii intelliguntur, quibus erit adventus iste formidabilis.

9. Tùm est efficiens causa, impellens, partim præ timore; qui quantum concutiat animum historia docent, etiam eum suffocare scribunt.

10. Partim præ expectatione futurorum in terra, ita enim talibus imminentibus, & præsentibus magna est angustia, & quemadmodum Syrus habet talis etiam erit, quæ ejiciat animos hominum.

11. Tùm procreans, quia virtutes cœlorum movebuntur. Fortasse quemadmodum Domini expectatur adventus, ut ejus præsentia in toto fiat vel hominis vel mundi: Sic etiam virtutes cœlorum adventu Domini augmen-

rum gratie consequantur necesse est, uti habet
Ambros. lib. 10. in Lucam. Greg. M. Per vir-
tutes caelorum hom. 2. in Evangelistas tom. 2.
intelligit Angelos, qui in isto adventu districtè
judicis nostris tunc oculis visibiliter appare-
bunt, ut districtè tunc à nobis exigant hoc, quod
invisibilis nunc conditor aequanimiter portat.

12. Sic fuit prænunciatio, sequitur judicis
manifestatio v. 27. In quo effectum quod de-
terminatur per tempus, & tùm dicitur, Et
tunc; non quidem ac si certus denotaretur
temporis articulus (uti singulis ferè seculis eum
tentarunt nonnulli definire, vel suis revelatio-
nibus, vel ratiocinationibus confisi: contra ta-
men manifestam scripturam Matth. 24. 36.
Marc. 13. 32. Act. 2. 7. & quia 2. omnes præ-
dictiones hætenus ab experientia sunt eluse.)
sed ut observaretur hoc eventurum. Voluit e-
nim Deus nos latere unum diem, ut observaren-
tur omnes, secundum Gregorium.

13. Et per modum, quòd sint visuri; nempe
cùm signa illa prædicta evenerint, oculis corpo-
ralibus, uti habet Orig. hom. 30. in Matth: non
enim veniet, addit Ambros. lib. 10. in Luc. c.
21. in caligine tenebrosa, & horrore pluviæ,
quomodo enim in sole posuisset tabernaculum
suum?

14. Tùm objectum, nempe filium homi-

nis. Siquidem in humana visibili forma ad iudicium omnibus conspiciendus redibit. Act. 2. 11. Apoc. 1. 7. Et licet Christus dicat Ioh. 12. 47. se non venisse ut mundum iudicet, tamen inibi loquitur de primo adventu, hic autem de secundo. Filius autem hominis iudicabit ratione executionis, cui datum est iudicium Ioh. 5. 22. quippe equum est, ut is iudicet, qui iudicatus est, ut videant in quem pupugerint, Zach. 12. 10.

15. Isq; describitur partim à subjecto, nempe venientem in nubibus cœli, quia verè redibit, uti ascendit. Act. 1. 11. Et quamvis sine nubibus, quæ cœlestis obtegunt mysterii claritatem, tamen sunt & nubes, quæ rore gratiæ spirituali humescunt, inquit Ambros. Et uti quotidie venit in nubibus prophetis, i. e. in scripturis, quæ manifestant eum, habet Orig. hom. 30. in Matth: ita tunc veniet, ait August. epist. 80. tom. 2. sicut abiit. Extollamus ergò corda nostra, & cœlestia queramus. Et ut Tobia mater ex alto monte contemplantur viam, quâ filius rediturus: Sic oculos etiam ad Christi veniendi viam elevemus.

16. Partim ab adjuncto, quòd tum in potentia, ut quem in humilitate positum audire noluerunt, virtutem eius tantò districtius sentiant; quanto nunc cervicem cordis ad eius patientem-

scientiam non inclinant, inquit Greg. hom. 1.
super Evangelium.

17. Tum in gloria magna: ut distinguantur
ab adventu primo, quem persecutus est, habet
Cyrillus, cum infirmitate & humilitate, ibi e-
nim venit humilis, hic sublimis; ibi pauper-
tus, hic gloriosus; ibi in dorso aselli, hic in vehi-
culo caeli; ibi comites discipuli, hic Angeli; ibi
judicandus, hic judicaturus. Hoc inquit
Rudolph, Ardens quotidie cogitemus, ne
manifestemus hic immunditias conscientia-
rum nostrarum per confessionem ad veniam,
ne ibi a Domino manifestentur ad poenam. Ve-
niet tamen etiam in nostram consolationem glo-
rificaturus quoque, & configuraturus corpora no-
stra corpori claritatis suae, inquit Bernh, ser. 6.
de adventu.

18. Partim nostra ad Adventum prepara-
tio, qua ostenditur tum in consolatione per-
rationes ex adversis eventu se: latissimo, quia
est futura redemptionis appropinquatio v.
28. in quo praemittitur conditio, cum autem
haec fieri incipient, Fient ergo praedicta certis-
sime, ut ita confutentur illi, qui negarunt & e-
iamnum negant futurum esse iudicium.

19. Et subicitur expositio tum mandati,
quo partim suspiciant. Ut querant auxilium
& solatium in calamitatibus in caelo; alias e-
nim

nim si in mundo daretur solatium, tunc circū-
spicere tantum, non verò suspicere iuberemur.

20. Parvum tollant capita; quia haec sunt
signa latantium quasi diceret, inquit Greg.
in hom. 2. super Evang. exhilarate corda!
caput enim erectum victores ferunt. Et est lati-
tiae signum Es. 35. 10. Ps. 9. 4. Vti contra caput
in terram demissum signum tristitiae. Thren. 2.
10. Syrus addit: Bono animo estote. Nam licet
dies iudicii reprobis sit terribilis, electis tamen
erit consolabilis, uti habet Lyra. Et ut bonus
villicus quando copiosum fructum continuo
labore conquirat, venire Dominum suum ad
lucrum cupit; Sic ad palmam suam venire
Christum cupit, qui bella mundi virtute pro-
stravit, inquit Chrysostr. serm. 158.

21. Tum caufati, quoniam appropinquat
redemptio. Vita enim nostra quasi carcer est,
inquit Tertull. Sed redimemur ex illo. Unde
dicitur ultimus ille dies redemptio etiam apud
Apostolum Paulum Rom. 8. 23. quia redimet
Dominus animam ab indigentia sapientiae &
virtutis; redimet eam à morte malarum cogi-
tationum; redimet eam ab afflictione passio-
num. Corpus redimet ab indigentia ciborum
rerum corporalium; redimet ab afflictione
morborum; redimet etiam à morte, uti habet

Ru-

Rudolph. Ardens. Impiis quidem erit ut iudex severus, piis verò ut Redemptor benignus. Et cum appropinquare dixit, non adesse iam innuit, ut cum ceperint ista fieri, non cum facta fuerint, erigens & excitans animum ad proximum spei fructum, ut loquitur Tertull. lib. de Resurrect. c. 2. Ideoq; non timendus, sed amandus dies ultimus.

22. Et rerum omnium instauratio, quae illustratur ex comparatis, partim similitudine explicatâ, cuius tum propheta est arborum contemplatio. v. 29. in quo tum in genere, quod dixerit parabolam. Ita enim solitus docere, ut eò melius possent retinere, ut eò fidelius etiam attenderent, & iudicij presentiam observarent.

23. In specie, ut viderent ficum, quam potissimum allegare voluit, ut ostenderet, quemadmodum ficus bifera: sic etiam, ne piji sine fructibus essent; & quia ficus folia adhibere primi parentes ad regendam nuditatem, ut discamus in iudicio futuro omnia esse occulta manifestanda. Et in genere, omnes arbores, ut arborem transgressionis nobis revocemus in memoriam, cum arbor adsit liberationis. Ita similia ex natura nos ducunt ad spiritualia.

24. Et earundem germinatio. v. 30. in quo

26

antecedens, quum emiserint folia. Vti fieri solet, cum virtus ipsa vitalis prodire ceperit ad manifestationem. Primum enim quidem est gemma, quam Matth. 24. 32. κλάδον ἀπαλόν nominat (ramusculum recens natum) postmodum producit & folia. Quò ita unusquisq; post hyemes & post tristitiam periculorum transactorum proferat tenerum ramum; non illud durum, sed molle cor ad credendum Deum, & ut profectus nostri proferant folia, uti habet Orig. hom. 30. in Matth.

25. Consequens, cernentes agnoscant propè esse ætatem: Gemma enim & folia sunt prodromi: ut nihil sit per quod non moneamur in nostro officio, quò discamus si germinaverimus operibus in terris, etiam fructus nos laturos in cælis.

26. Tum ἀπόδειξις similis filii hominis ostentatio v. 31. in quo indicium, ita & vos cum videritis hæc fieri: propterea enim prædicta, quæ antea sunt recensita quoad signa. Et ratiocinium: quòd agnoscant ex seipsis propè esse regnum Dei. Vt dum hæc fiunt, colligant, nondum ultimum finem rerum evenisse, sed propè adesse, & eò maiori cum sollicitudine his indubitatis signis exsuscitati sese præparent. sunt enim non signa fallacia, sed veracia: Et
quam-

quamvis ad sit; modo tamen habemus ius ad rem, ibi autem habebimus ius in re, tunc imperabimus plenarie, quod petimus quotidie, modo quidem in regno gratia & crucis, sed tunc transferemur in regnum gloria & lucis.

27. Tunc à pari. Id. quod partim illustratur ex adjuncta significatione temporis, ubi est iudiciorum conservatio v. 32. in quo partim attestatio. Amen amen dico vobis. Quibus verbis omnia predicta sub magna certitudine, ut habet Greg. M. hom. 1. in Evang. confirmantur, ut occurreret dubitationi iudeorum; opponit quasi iuramentum, quod omnes controversias terminat, Heb. 6. v. 16. Cum enim in omnibus fidelis, etiam in ultimo non fallat, nec deficiet veritas, inquit Beda in hunc locum lib. 6. c. 89. Que utiq; & si non diceret mentiri omnino tamen non potest.

28. Partim declaratio per negationem: ætas hæc non præteribit. perquam, quamvis alij intelligant desolationem urbis Hierosolymæ, uti Osiander & Aretius; alij genus signorum, uti Simon Pauli, alij mundum, uti Hunnius: potissimum tamen intelliguntur iudei, ut & innuatur illos non esse è medio tollendos, aut interituros ante seculi consummationem ex Zach. 2. 12. Ro. 11. 25. cum sint prædecessores nostri.

stri.

28.

stri, seriniarij & librarij nostri secundum Augustinum.

27. Per limitationem priusquam omnia fiant. Neq³ enim fames, neq³ furor, neq³ pestis, nec alia eiusmodi tentatio prevalebit, nisi habet Autor operis imperfecti in Matth. c. 24.

30. Partim confirmatur, dum verborum divinorum est aeterna duratio v. 33. in quo comparatio est imparium, quorum minus affirmativè, caelum & terram transiura: non quoad mutationem accidentalem, sed quoad interitum realem, quia 1. dicuntur transire & non mutari, alias enim antiquatio foret, & quia 2. Petrus expressè docet exurenda esse & dissolvenda. 2. Pet. 1. v. 10. 11. 12. Adeo ut nec illorum locus sit inveniendus. Apoc. 20. 11. ut non sint amplius Apoc. 21. 1. & quia de consummatione differunt, de re sc: quae à multis non creditur. Caelum autem & terram in medio posuit ut ineffabilem virtutem suam ostenderet & magna cum potestate universi Dominum se significaret, inquit Autor imperfecti operis.

31. Majus negativè. Verba autem mea non transibunt, quasi diceret: non sicut caelum & terra praeteribunt, ita & verba mea. Et quamvis nihil in rerum corporalium natura caelo &

set.

terra durabilius; & nihil in rerum natura
tam velociter quam sermo transeat, tamen o-
mne, Christus ait, uti habet Greg. hom. i. in E-
vang. quod apud nos durabile est, sine muta-
tione durabile ad aeternitatem non est: & omne
quod apud me transire creditur, fixum & sine
transitu tenetur; quia sine mutabilitate manen-
tes sententias exprimit meus sermo, qui transit.
Est enim aeternum verbum. Es. 40. v. 8. & per
verbum Christi factus est mundus, inquit Ly-
ra. Ideo verbum mundo longe est stabilius.
Magna itaq; est scriptura certitudo.

32. Sic de consolatione, sequitur de ad-
hortatione, quae continet modum, quatenus
quaedam sunt fugienda, & est vitiorum evi-
tatio, v. 34. in quo in genere, quod sit caven-
dum. Ita fidelis est Christus, qui monet, & mo-
net omnes tanquam Rex & Dominus, sacerdo-
ribus simul & populis, leges ac jura prestituens,
inquit Cyrillus in Levit.

33. In specie denotatur modus, ne graven-
tur corda tum in crapula & ebrietate; In
quibus consistit luxuria, ubi per crapulam non
solum gravedo capitis ex nimio potu denotatur,
quia alias ebrietatis non fieret mentio, sed nimia
ingestio cibi, uti & Luth. reddidit: in fressen.
Et Syrus per alututa, qua vox exponitur per
He-

Hebraicum Zoleluth, id est - commissationem. Quamvis & possit esse figura loquendi *דו דיא - דו* - - ac si diceret; ne corda graventur ebrietate, qua ex se parit crapulam. Est enim tale vitium quod non corpus, sed mentem etiam aggravat. Auditis ergo edictum Regis aeterni? ideoque attendite! plurimos gula occidit, nullum frugalitas; innumeris vinis nocuerunt, nulli parsimonia. Plerique sane inter epulas fudere animas & mensas proprio implere sanguine, inquit Ambros. lib. 1. de Cain & Abele c. 5. Unde sicut ager ad medicinam; sic ad sumendas dapes debet quisque accedere. Nequaquam vidi in illis voluptatem appetere, sed necessitati succurrere, habet August. lib. de convictu vitiorum & virtutis c. 20.

34. Tum de avaritia vitanda atque curis de victu, ubi per Synecdochem etiam amictus ex *Matth. 26. 25.* intelligitur, quo sensu & accipitur vox *βιωτικὰ* 1. Cor. 6. 3. Duo etiam ista vitia, luxuria & avaritia potissimum dominantur.

35. Eventus. Et repente superveniet dies illa: nempe sicut fur 2. Thess. 5. 2. sicut fulgur ab oriente. *Matth. 24. 27.* sicut dolores parturientis 1. Thess. 5. 3. Cum dixerint pax & tuta omnia, 1. Thess. 5. 3. Qui vero sobrius est, in-

quis

qui Theod. in 1, Theſſ. 5. v. 7. novit signa ad-
ventus Domini. 88

35. Et periculorum declinatio v. 35. in quo
effectum in antecedente, à simili, ut laqueus.
Desumpta ergò ab aucupibus & piscatoribus
videntur verba ex Eccl. 9. 12. Aucepti diabolus
est, Ps. 124. 7. area mundus est, aves sunt ho-
mines, laqueus verò est dies Domini perpetuo
retinens quod semel cepit. Vnde Syrus addit,
ut laqueus illaqueabit eos.

37. Objectum, in omnes qui habitant in
superficie totius terræ. Excluditur ergò ne-
mo cum includatur omnis. Ergò caveant omnes
necesse est.

38. Quatenus quadam sunt facienda. Et
est vigilantie & precum observatio, v. 36. in
quo proponitur modus, qui tum ostenditur per
Vigilate: Quia dum super unumquemq; no-
strum dies Domini veniet, opus est vigilare
sive vespere, in juventute inquit Orig. homo.
39. sive media nocte in medio vita humana te-
brose, sive galli cantu quando iam senior est, sive
mane quando iam in senectute profecta est:
Non quod prohibeatur somnus planè, quia co-
etiam Dei beneficium est, sed ut aliquis dormire
dicitur, quando securitate sepultus omnia ne-
gligit. Ita vigilat aliquis, quando excusso car-
nis veterno saluti sue attendit homo.

39. *Et per Orate. Sine enim Dei gratia nihil possumus, etiam nec vigilare, ita dum orandum feliciter vigilare debemus. Corde vigila, inquit August: in verbis Domini super Matth, ser. 23. fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila. Excitemus nos quemadmodum possumus ac incipiamus tract. 3. de simplicitate praelatorum, extremo & somno inertia veteris abrupto ad observanda & gerenda Dei precepta vigilemus.*

40. *Effectus est, ut partim effugiatis ista omnia, quae futura sunt, mala, partim consistatis coram Filio hominis. Non quidem ex propria gloria & prestantia, sed ex divina gratia coram tribunali Iesu Christi, cum in Christo simus heredes vitae, qui non veniet in severo iudicio, ut pios condemnet, sed coronam gloriae ipsis imponat. 2, Tim, 4.8.*

Δόξα τῷ Θεῷ τρισυπόστατῳ.

NOTÆ.

I.

ERunt signa, considera Christi ante octiduum humilem fuisse adventum, nunc gloriosum: ut discas non posse nos ad gloriam venire, nisi nos prius humiliemus.

II.

II.

Respiciite & elevate capita) considera
*ra gaudium de caelo venturum, ut
 discas nullum solidum esse expectandum
 in terra.*

III.

Videte omnes arbores cum produ-
 cunt fructum) considera Domi-
*num signa conferre cum arboribus; ut di-
 scas nos esse regno caelorum proximos cum
 instar arborum floremus & fructibus abun-
 damus.*

CASVS CONSCIENTIÆ

An propter angores abbreviandos li-
 cita sit *avoloxygia?*

Ita colligunt quidem ex textu, quum tan-
*ta sint anxietates, ut scil. mærore rabe-
 scant homines. Et ita etiam Donatistæ
 collegerant. Etiam quidem Jcti arbitran-
 tur eam probari posse per l. liberorum
 ii. § non solet 3. de his qui non inf. l. ff.
 sed si, § 7. ff. de peculio l. ult. §. si quis 4.
 ff. de bonis damnat. l. in fraudem 25.
 §. ejus 2. ff. de jurẽ fisci. Verum dicuntur*

34
tabescere quidem, non autem iubentur se
occidere; potius attollere capita, quam re-
demptio sit propinqua. Deinde habemus
mandatum: Non occides, quo & propria
prohibetur internecio, uti censet August. l.
2. de civ. Dei c. 5. relatus in c. non licet
23. q. f. 5. Membra sumus Christi. Ergo non,
sumus in nostra de jure potestate, ut nos oc-
cidamus, sed ei vivamus, Ephes. 5. 30. Et non
inquit Hieronymus, Dominus recipit a-
nimas, quæ invito Domino ex corporibus
exiverunt. Etiam Leges humana repu-
gnant, in quibus quod nemo Dominus
suorum membrorum l. liber homo 13. ff. ad
legem Aquil. imo punitur qui seipsum le-
dit l. 6. § 7. ff. de re militari l. 8. l. 38. § fin.
ff. Sicariis de Bartolus in lege 1. § usq;
ad eò de injuriis & in l. transigere 15. C. de
transact. Et qui metus criminis se ledit gra-
viter capite punitur l. omne delictum 6.
§ si quis 7. ff. de re militari. Nec obstant
ll. allegata quæ tantum loquuntur de bonis,
non de personis primario, non tam de jure
quàm de facto, uti Sichard ad l. 3. n. 8 in
f.

f. C. de pactis, Tilem. l. de princip. prudentiæ c. 6. Carpz. p. 1. pract. Criminal. q. 2. n. 25. Et si de jure potius de Veteri, quàm de Novo ut ait Heigius q. 36, n. 24. siquidem in l. cum a 23 § excipitur 3. ff. de Adq. l. titio dicto, malus servus Domini creditus est, qui aliquid facit quo magis se rebus humanis extrahat. Et quamvis distinguant, si quis tædio vite vel conscientie vulnere sibi violentas manus intulerit, tamen bonorum fit mentio, non personarum. Interim vita antecedens considerata & exploranda, ne cum sint in iudicio Dei, præoccupemus illud, & damnemus, quos an sint damnati ignoramus. Balduinus in Casibus Conscientiæ lib. 2. c. 3. q. 30. In terrorem verò aliorum ceremoniis solitis vix videntur digni, qui se ipsos indignos fecerunt, modo non fuerint phrenetici, melancholici, aut sui non compotes. videatur Heigius part. 2. q. 36. n. 74. Vischerus de duello litera K. k.

Concludimus voce Lipsii 3. Manud.
ad Stoic. Phil. diss. 23. Deus, Deus
ve.

vetat injussu suo abire: quid disputamus,
 quid nugamur? Voce ejus sacris nostris pro-
 dita. Non occides! quem? non te, non a-
 lium: Et scito illum vitæ Dominum tan-
 tum qui dedit. Itaq; patientiæ exempla
 infinita apud nos sunt, & vita in molestiis
 transacta; & tormenta tolerata, & mors
 ipsa ob pietatem obita, sed obita, non sum-
 pta. Dehortatur etiam Paulus carceris
 custodem ne se interficiat. Actor. 16. 28. E-
 phes. 5. 29. Nemo odio habet carnem su-
 am. Quibus verbis & damnat mortem
 voluntariam, uti monet Bernhardus in
 epist. 1. ad Robertum nepotem suum & Gn.
 9. 5. idem prohibetur, ut habet Fagius in
 Onklum, Rangol in 1. Reg. 31. 6. q. 140.
 tom. 2. Videatur Orig. lib. 2. in Job. Aug. e-
 pist. 38. ad Lætum epist. 52. ad Maced.
 epist. 61. ad Dulci. lib. de patientia c.
 13. Hieronym. in epist. ad Paul. de obi-
 tu Blæsilæ. Lactant. lib. 3. div. justit. c.
 13. solvia de Gubern. l. 6. n.

Ad Respondentem.

Consulit ille sibi bene, consulit ille saluti,
Consiliiq; potens dignata quisquis
habet.

At nimis est audax qui singula talia spernit
qua sunt extremi dignata certa fori.

Anxietas homines, aestus mare, motio terras
Concurrit; eclipses cernimus, astra cadunt.

Luxuries & avarities, & fœda libidō

Regnat, bella valent, undiq; bella calent.

Non procul est extrema dies, Orbisq; ruina,
ut grossi tempus veris adesse monent.

Tollite quisq; caput, propè nostra redemptio.
quippe

Ceu Domini laqueus, sic venit illa dies.

CUNRADI ceu disquisitio consulit: ausus
pergat! Consilium cœlica regna dabit.

ita optat

GVEINZIUS

PRÆSES.

Π ἀρεμῶν ἡμῶν ὕσατον,
ὡ ἐννι πάντος αὐτῆ
ἀρμηφι ἐς χἀη ταχὺ
ἐδεύσει ἀρχοιδέα,
ἐν ὧ τε συμπας φαινέμεν
ἐπιπροσθεν ὄψεως γόνυ

Θεοῖο ἀξία βροτῶς
λαμψέυται ἄθλα πραγμάτων,
διδασκες ἐν τέτῳ λόγῳ
ΚΟΙΝΡΑΔΕ τοιγα, ἔν Φίλε,
σκόπῳ εἰάν περ ἐμμενεῖς,
κτῆτῳ παλαιῶ χρημάτων,
ἀ δαμονίζει, ἔοσεαι.

Σαμῆλ Ἀελλῆς. λ λ

PRæsentem terris intentant omnia finem
jam, jam, dum tenebras pallida Lu-
na capit.

Signifer & piceâ tegitur ferrugine Phœbus,
anxietasq; hominum tristia membra qua-
tit.

Scilicet hæc Soboles Iovæ prædixit; & inde
nobis *Consilium*, quæ peragenda, dedit.
Istud *Conradi* repetit: se subdet, & ipsa
Si pergis, meritò cœlica Suada tibi.

f,

FRIED. Kühn/Junior.
Hall, S.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017

EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C





ITTIARUM
ELICARVM

isitio Secunda

RÆSIDE
NO GUEINZIO

asii Hallensis
 Rectore.

condente

CUNRADI,
 riâ - Lusato

II. Adventus

cl. IVL.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXX
 SAXONUM

m Melchioris Oel-
legely.